

Expedit excellencie nostre, ut gesta nostrorum predecessorum Romanorum imperatorum ac regum et nostra scriptis recensemus, ut de eis ratio uberior et tempore oportuno memoria perfectior habeatur. Nos igitur ea consideracione obligacionem seu obligaciones factam vel factas, illustri quondam Friderico marchioni Missenensi ac etiam illustri Friderico filio suo principi et genero nostro et imperii fideli dilecto per divine memorie Heinricum imperatorem predecessorem nostrum inclitum in certis summis de castro et civitate Altenburch ac de civitatibus Zwigawe et Kemmenitze necnon etiam aliam seu alias obligacionem seu obligaciones per nos predicto Friderico genero nostro factam vel factas de castro et civitatibus memoratis in certis pecunie quantitibus omni modo et forma, quibus facte sunt hinc inde insimul predicto Friderico genero nostro suisque heredibus approbamus, ratificamus et presentis nostri scripti patrocinio confirmamus adicientes, quod expensas et dampna, que vel quas in marchia Brandenburgensi in nostro et illustris Ludowici filii nostri marchionis Brandenburgensis obsequio se docuerit iusta racione pertulisse, predictis debitorum summis et sub eadem impignoracione valeat integraliter aggregare, sicut et sibi presentibus aggregamus. In cuius rei testimonium presentes conscribi et sigillo maiestatis nostre iussimus communiri. Datum Papie vicesima tertia die iunii, regni nostri anno quintodecimo, imperii vero secundo, anno incarnationis domini millesimo trecentesimo vicesimo nono.

**70.** *Aufzeichnung über den Ausschluss des Dietrich von Reinersdorf aus dem Rat der Stadt Zwickau.*

[1329]

*Handschrift (14. Jh.): Stadtarchiv Zwickau, IIIx<sup>1</sup> 141b (Zwickauer Rechtsbuch), fol. 22r (14. Jh.) (B); über dem Eintrag mit arabischen Ziffern die Jahreszahl: 1329. — Zur Sache: Herzog, Chronik II, S. 59.*

Specialiter Theodericus de Reinersdorf imperpetuum a consilio et ab omnibus officiis civitatis amplius removeatur propter causam, quam deliquit apud proconsulem Albertum Lazanum, Nicolaum cum Matre, Johannem de Milsina, Theodericum procuratorem, Jan de Ernfridesgrün, Heinricum Cruchan, Reinoldum Kempniczerum, Heinricum Lemmerzail, Johannem Nuwenstat, Johannem de Werde, Hermannum Boumgarten, Johannem Gladiatorem, quod dixit eos esse periuros, et pro illo sermone iuravit in iudicio non fecisse, quod falsum erat bona noticia iuratorum et aliorum plurimorum honestorum et qui protestaverunt<sup>a)</sup> hoc dictum. Ipse Theodericus rogavit ad hunc sermonem factum Jan de Erenfridesgrün, Reinoldum Kempnizerum, Hermannum de Liechtenstein, Johannem Kempniczerum et alios fide dignos.

a) (B)